
Cracov. Stud. Univ. Jag. Crac.
Promotiones Phil. Ord.

1622 d. 19 et 20 Martii

Studiosae Poeseos Juventutis: Poematia virtutis ac eruditionis laude ornatissimis XIII viris.



POEMATIA VIRTVTIS AC ERVDITIONIS LAVDE ORNATISSIMIS XIII. VIRIS

Dum in augustissima ACADEMIA CRACOVIEN: Artium LIBERALIVM MAGISTRI, ac Philosophiæ Doctores. XII. Cal. Aprilis. Anno M.D.C. XXII. publicè ac solenniter crearentur.

A

STVDIOSA POESEOS IVVENtute

Honoris ergò concinnata.



CRACOVIÆ.

Apud Martinum Horterinum.



Excipe florentes genitrix Academia fructus
Hæc à Prole Tuâ Symbola amoris habe,
Viue diu fælix, optatisque vtere votis:
Et Prolem proprio pone, foueq; sinu.

ANAGRAMMATA

I.

MATTHÆVS CRASNICIVS

Anagramma.

HAC IT CARE NATVS MVSIS.

INgressus virtutis iter iam tempore longo
Artibus ingenuis ardua quæq; petis.
Non te sudores tardant, non mille labores,
Pectore magnanimo sed superare iuuat.
Splendida Musarum solers conscendere tectã,
Adiungi satagis Pieridumq; choro.
Perge alacris,nec enim fallit sententia mentem,
Hæc tibi, si pergis,sunt paritura decus.
Quid mirum ? HAC CARE NATVS MVSIS
IT ad astra
Et mage, qui pergit, culmen honoris adit.

Ioannes Wielopolski.

II.

ANDREAS HASCOVIVS.

Anagramma.

NAVA SIS DEO CHARVS.

SInt alijs magnæ preciosa monilia curæ,
Diuitis immensæ seu Babilonis opes

Ædificent caro præcelsa palatia sumptu
Nominis æterni seu monumenta parent.
Attingant claros fasces, rigidasque secures
Excitet ac alios summus honoris amor.
Enumerent alij proauos atauosq; celebres
Regum Romulidûm, Germanicûmq; Ducum
Linquito opes alijs sequitor tua nomina quæ te
Vt fias Diûum dignus amore monent.
Ergo DEO CHARVS sis, NAVA: sic & honores
Sic etiam Attalicas exuperabis opes.

Christophorus Miroszowski.

III.

J. V. g. Kuerkirz LAVRENTIVS KARINSCIVS.

Anagramma:

SACRIS VINCENTI LAVRVS.

DVm specto lauri vires, miracula; specto
Quomodò sub nomen venerit illa tuum.
Esse sacram legimus MVSIS; hæc signa triumphi
Præbet: mirandum, nescio, quod sit opus.
Forsan Apollo tibi sedem concessit in illis
Præscius in sacro posse virere choro?
Vel fore victorem certe de sede Mineruæ?
Nil dubij sic est: seruit vtrumque tibi.

Pugnasti

Pugnâſti victor, nec paruo nomine; verùm
SACRIS VINCENTI, LAVRVS, ab arte nitet.
Michael Morski.

IV.

GREGORIVS PANOSIVS.

Anagramma:

O VIGOR PERGIS SANVS.

ALcmenâ genitus toto celebratur in orbe.
Dicitur innumeros qui ſuperâſſe manu.
Multorum vires ſpectantur, & inclyta facta,
Fortibus hæc eſſent ſæpè imitanda viris
Nil tamen efficiunt hæc omnia, tempore noſtro;
Quid loquor hæc? plures ſi numerabo, nihil.
Tu meritò ſolus memorandus, viribus illos
Corporis inuicti vincis, & ingenij. (triumphas,
O VIGOR, in bello hoc, PERGIS, SANVSque
In quo victores efficit ingenium.
Ioannes Kocki.

V.

ANDREAS CIESKI. Consul Cracoviensis

Anagramma.

SIC DEA IN ACRES.

IVdicium Muſæ faciunt, cui munera danda,
Floribus ex varijs candida ſerta parant.

 Adnectunt

Adnectunt violas sumptas virtutibus almis;
Ordine distinguunt lilia casta suo.
Imponunt gemmas morum, lapidesque nitentes
Gestorum : & forti stamine serta legunt.
Copia sertorum famæ diffundit odorem,
Hâc velant Musæ tempora docta Sophûm.
Hacq; suam cingit frontem, quid ?
SIC DEA IN ACRES.
Acer es & studijs, acer & ingenio.

Stanislaus Morski.

VI.

ALBERTVS SAMBORIVS.

Anagramma.

IS LABOR BEAT SVRSVM.

NOn omnis fruitur genuino semper odore:
In vineis flores, crede mihi, esto legat.
Si caueat fronti rubos, vereatur hic inde;
Nil, nisi derisum, talis olere solet.
Sæpe rosas armant spinæ; tamen optima mella,
Sit licet in casu, sedula sumit apis.
Tædia sic etiam asiduo sunt longa labori
At SVRSVM LABOR IS tædia honore BEAT.
Quare agè procedas sursum, te sponte beabit
Is labor; hinc doctis annumerêre viris.

Dominicus Lagodowic.

VII.

FRANCISCVS ROLINSCIVS.

Medicinæ Doctor Consul Cracoviensis

Anagramma.

SIN ACCVRRIS, FVLCIS NOS.

TVllius optatam Pompej laude ferebat
Sortem, quæ fælix omine vbique fuit.
Atque tuam ſortem fœlicem cernimus omnes;
Namque auibus currunt omnia fauſta bonis.
Vidimus inde tuum comitatum pectore triſti,
Et nos aduentu reſtituiſſe tuo.
Miramur tantas dotes, dignamur honore;
Nam, pro mille alijs, en tua facta nitent.
Tu SIN ACCVRRIS, FVLCIS NOS, mente quieti
Adſumus, à te nam proſpera cuncta fluunt.

Stanislaus Sułowski.

VIII.

HIACINCTVS LIBERIVS.

Anagramma.

HINC SIBI LAVS CREVIT.

ESt animus cunctis, totius viſere partes
Orbis, quêis poſsint quærere laudis opes.
Hinc alij ſcandunt Auguſtæ mœnia Romæ;
Sêclo, mirandum, quolibet, orbis opus.

Vrbs

Vrbs quoque ſpectatur Craci, magnæ æmula Romæ,
Sarmatiam innumeris vſibus iſta beat.
Hîc ſolium poſuit pietas, hîc inclyta virtus;
Hâc propriâ gaudet ſede verenda Themis.
Hic quoque conſtituit præcelſa palatia Pallas,
In quorum medio laùsque decùsque manent.
Percelebris ſanè, elogium cui contigit iſtud:
HINC SIBI Lavs CREVIT, laude perennis erit.
Ioannes Ludwikowic.

IX.

IACOBVS GOŁEBSKI.

Anagramma.

IO. OS BACCIS GLVBE.

FÆlicem multùm te nitar in ordine tali
Dicere, cui Muſæ nectar in ora ferunt.
Non ſimilem legi, qui tam eſſet gratus; at apto
Bacca, alij myrtus, tertio oliua datur.
Non vni dantur baccæ, tu ſolus haberis
Exemplar, qui ſis, ritè, Deabus amor.
Te curare volunt, eſca nutrire ſuaui,
Dum modò quando iubent, os aperire velis.
Pſallit Io, quiuis curas de pectore pone:
Os BACCIS GLVBE, vt pectus abundet eis.
Nicolaus Rzeſzowski.

X.

NICOLAVS CASIMIERZ.

Anagramma.

I. LAVRO MICAS SCIENS.

NOn ſic clara micant præcelſo ſydera cœlo;
Nec ſic auricomus ſol oriendo nitet:
Ac lucent iuuenes claro virtutis honore,
Quem iuſtè factis promeruêre ſuis.
Lucida nam virtus radios diffundit in orbem,
Vt ſoleat quemuis luce replere locum.
Iſta nitet varijs gemmis, lauroque virente,
Hoſtes quod virtus vicerat alma feros.
I quoque tu victor, clarum Pæana capeſſe,
LAVRO namq; MICAS, dogmata vera SCIENS.

Ioannes Koſzycki.

XI.

IOANNES CHARSEWSKI.

Anágramma.

IO CHARE SANVS VENIS.

ESt ſuus Æmilio, Bruto, Fabioque triumphus,
Quorum hoſtes non tam Marte ſed arte cadunt.
Viuunt & viuent, poſt lethum, ſæcula longa;

Nominis & nobis ſigna ſequenda ferunt.
Hos ſequitur rarus; mauult potis arte minore,
Dico maiore: Hic plus, ſcio laudis habes.
Quisq; Tuis en dicit IO: vir, CHARE Trophæis
Hæc cape; pòſt, factis plus valitura tibi.
Viue, ſtude, ſuda, vita, vi, corpore, ſemper
SANVS, amans, lætus (ſi bona terna) VENIS.

Stanislaus Wáxman.

XII.

Medicinæ Doctor Consul Cracouiensis

GABRIEL OHOCIVS.

Anagramma.

O LABOR HIC VIGES.

ROmáni quondam templum ſtruxêre Labori,
Et ſuperis ſueto ſacra dedêre loco.
Ponè ſequebatur Templum mira arte paratum;
Hoc inſignitum nomine Honoris erat.
Nulli fas fuerat templum conſcendere Honoris,
Quem, niſi conſtaret, præterijſſe prius.
Ecce Laboris adeſt Templum; hoc qui tranſit: Honoris,
Ingreditur; verè HIC O LABOR arte VIGes.

Ioannes Iaſcinski.

XIII.

IOANNES KRVPKA.

Anagram-

Anagramma.

SERA NVNC CAPIO.

OLim, nunc, ſemper, qui Palladis arma ſequũtur,
Contendunt magna laude virere Sophi.
Nil tamen efficiunt validis conatibus, vnum
Te video præ alijs arte nitere Sophum.
Non hic ſpectantur iuuenili in pectore vires,
Sed potius Dea, quæ ſede locare ſolet.
Lætitia exulta paruis, dic, ſim licet annis
Si cito NVNC CAPIO SERA, præibo meis.

Prædislaus Pieniazek.



1379.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0007314